



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

VI. De charitate in vniuersum tam erga Deum, quàm erga proximum,
quam Societas Iesv à religiosis expetit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

modo autem ſeruandum ſit, explicatum iam eſt in puncto præcedenti. Secundò poteſt id intelligi extra caſum reſeruationem, de communibus confeſſionibus, vel ordinariis, & particularibus, vel extraordinariis, & generalibus, & in hoc duo dicenda occurrunt.

XVII. Primum eſt illud non eſſe per ſe malum, aut reprehentione dignum, ſeclufa humana prohibitione. Quamuis enim ad ſe omnino aduocare confeſſores munus reſpectu ſubditorum, iuxta præſentem ſtatum religionum, violentum ſit, ac periculoſum, ac proinde inordinatum, vt tract. 8. diſputando de prælatorum poteſtate in communi diximus; tamẽ pro aliquibus temporibus, aut vicibus id exigere per ſe inordinatum non eſt, nam multæ religiones videntur habuiſſe huiusmodi regulam, & conſuetudinem à Pontificibus approbatam. De Carthufienſibus reſerunt, habere ſtatutum conſitendi generaliter Priori, cum primùm eligitur, forſe ab vltima confeſſione præcedenti facta: item conſitendi eidem quando poſt aliquam peregrinationem, ad monaſterium redeit. Quod ſtatutum habet etiam religio S. Hieronymi c. 20. ſuarum conſtit. de quo quantum ad iterationem confeſſionis, capite præcedenti à numer. 2. diximus; hic verò conſideratur quantum ad circumſtantiam conſitendi ſuperiori. In ordine Ciſtertiienſi dicitur eſſe ſtatutum, vt monachi ſingulis annis conſiteantur integrè Abbati, quod ſtatutum à Pontificibus Pio II. & Sixto IV. confirmatum fuiſſe, intelligi poteſt ex eorum priuilegiis 91. 97. & 103. Et ſimile ſtatutum fuiſſe ab Alberto Magno in religione Prædicatorum introductum, reſert Ferdinandus de Caſtil. lib. 3. Chron. c. 46. quod ipſe approbat. Olim etiam in religionibus monachorum, ſolùm eſſe ſolebat vnus præſbyter, qui omnium proinde confeſſiones audiebat, qui tamen ſimul ſuperiorem fuiſſe, & maiorem quàm Præpoſitus, habere poteſtatem, clarè ſumitur ex regula S. Auguſtini in fine. Denique Hugo de S. Victore ſerm. 53. inſtituit monaſt. vniuerſaliter dicit, In faciendâ confeſſione talis diſcretio eſſe debet, vt quotidiana & leuia peccata alterutrum coequalibus confeſſetur, vt orationibus pro inuicem factis ſaluemur, pro grauioris lepro immunditia ſacerdoti, id eſt, noſtro ſummo Prælato pandere debemus, vt ad eius arbitrium iuſſiſſi curamus. Cum ergo conſilium hoc tanta auctoritate, vt vſu antiquorũ Patrum fundatum ſit, nõ poteſt reprehendi, vt per ſe malum. Ratio autem eſt, quia prælatus eſt de ſe ordinarius paſtor, & proprius ſacerdos religioſorũ: ergo per ſe & ſeclufa ſpeciali prohibitione, eis non facit iniuriam, ſi interdum velit agnoſcere vultum pecoris ſui.

XVIII. Secundò verò addimus obiectionem illam in n. 1. falſum ſupponere; quia in Societate nulla eſt regula, quæ abſolutè obliget ſubditos ad conſitendum aliquando ſuperiori, non ſolùm obligatione præcepti, verùm nec per modum ſimplicis regulæ. Quia vbicunque conſtitutiones de confeſſionibus faciendis, vel ordinariis, vel extraordinariis loquuntur, ſemper præſcribunt, vt ſiant confeſſori à ſuperiore designato: vel ad ſummum ſub diſtinctione, ſuperiori, vel cui ille iniunxerit, & ſemper intelligitur ordinarias confeſſiones fieri ordinario confeſſori designato: in extraordinariis autem ſex mēſium, & ſimilibus optionem relinqui poenitenti, vt vel ſuperiori, vel alteri ex designatis ab illo confeſſetur. Vnde in regula prouincialis num. 131. ſic dicitur. Si viſitatio circa renouationem votorum inciderit, ipſe ad excipiendâs confeſſiones generales noſtrorum, aliquos Patres probatos, & maturiores designabit, eoſque, qui ſibi conſiteri volet, benigne audiet. Et idem cum proportionem dicitur in regulis præpoſiti §. 23. & Reſtoris §. 22. Eſtque hoc conſonum modo loquendi conſtitutionũ p. 6. c. 1. §. 2. vbi dicitur paratos eſſe omnes debere ad Franc. Suar. de ſtat. relig. Tom. I. V.

confeſſionem generalem, quæ ab vltima generali inchoatur ei, quem ſuperior ſibi ſubſtituerit, faciendam. In quibus verbis, non ſolùm non dicitur confeſſionem eſſe faciendam ſuperiori, ſed inſinuatur potiùs, ſemper debere ſuperiorem ſubſtituere aliquem, cui fieri poſſit, quamuis nunquam excludatur, quin poſſit ſubditus eligere ſuperiorem, ſi velit. Denique tam longè abeſt Societas à prædicta calumnia, vt nec ipſos conſultores ſuperiorum velit designari ad audiendâs noſtrorum confeſſiones vt habetur in ordinationibus impreſſis anno 1617. c. 1. n. 7.

Atque hunc morem non ſolùm probauit, ſed etiam ſub præcepto impoſuit S. D. N. Clem. VIII. in ſuo decreto de caſibus reſeruatis religioſorum, vbi ſic inquit: non liceat regularibus ſuperioribus confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerunt, aut ipſimet ſubditi ſponte, aut proprio motu id ab eis petierint. Quod præceptum intelligendum eſt, non ſolùm de confeſſionibus ordinariis, ſed etiam de extraordinariis, ſiue ſiant occasione reditus ex itinere, ſiue ex regula conſitendi generaliter ſemel, aut bis in anno: tum quia abſoluta eſt prohibitio, & nobis non licet illam reſtringere: tum maximè, quia exceptio illa, niſi quando peccatum reſeruatum, &c. firmat regulam in contrarium. Per hoc ergo decretum antiquæ illæ conſuetudines in numero 17. allatæ, ſublatae ſunt: infirmitas enim, & fragilitas horum temporum, hanc moderationem requirit.

Tandem ex his non erit difficile ſatisfacere tertio puncto, ſeu vltimate parti diſcultatis poſitæ in fine n. 1. de onere comparendi: de qua multa nobis eſſent dicenda, niſi in 4. to. 3. p. diſp. 30. ſect. vlt. late tradita eſſent: in eum ergo locum lectorem remittimus: ne inutili repetitione illum oneremus: ibi enim res tota, quæ in Societate obſeruatur tractata eſt, oſtenſumque eſt eſſe doctrinam communem, rationi & praxi Eccleſiæ conſentaneam: ſolùm hic addo, nonnullos auctores cenſere, vel referre, in aliis religionibus, religioſos peregrinantes non poſſe abſolui à reſeruatis, donec redeant ad locum vbi eſt Prælatus, & vt num. 6. attigimus, quando peccatum eſt reſeruatum Prouinciali abſenti, ſine eius facultate non poſſe abſolui: at hoc grauius onus eſt: ergo facultas conſitendi ſtatim cum illo onere, potiùs eſt gratia ſpectans ad ſuauiorem modum procedendi.

CAP V T VI.

Quomodo perfectionem charitatis religio Societatis intendat.

Cum finis religionis ſit perfectio charitatis, & conſequenter ad illum etiam tendant omnia religionis exercitia, ſit vt illa maioris momẽti ſint, magisque propria religionis, quæ propinquius ad hunc finem accedunt, illumque immediatius operantur. Sunt autem duo charitatis officia, dilectio ſcilicet Dei, & proximi. Ad prius officium præcipue ſpectant, quæ haſtenus in hoc lib. 8. tractauimus: nam diuina charitas, quoad proprios, & elicitos actus erga Deum, maximè operatur, & creſcit in operibus internæ meditationis, & contemplationis, prodiit autem exterius in actus religionis, & diuini cultus, de quibus haſtenus dictum eſt. Solum hic addere poſſumus, ad hunc finem charitatis Dei, maximè conferre, vt cæterarum virtutum opera expreſſe, ac frequentius repetita intentione ad maiorem Dei gloriam fiant, & ob hanc cauſam huius rei ſtudium, & memoriam frequenter in conſtitutionibus Societatis commendari, tam in actu ſignato, vt ita dicam, quàm in exercitio. Nam in Summario conſtituitur reg. 10. ſic dicitur, Omnes rectam intentionem,

XIX. Neque in aliqua religione dari valet poſt decretum Clementis.

XX. Hoc onus latius eſt in Societate quàm in quibſdam religionibus.

I. Prima pars tituli de charitate in Deum expeditur.

Hæc charitas frequenter relatione bonorum operum in Dei gloriam promouetur.

